Epistola 77di. JOHANNI HOORNBEECK IOHANNES COCCEJUS

Reverende Vir.

Perlibenter accipio conditionem amicitiæ tuæ, quam mihi offers. Innotuisse tibi et probari studiorum meorum mediocritatem, gaudeo. Qua in parte judicio piorum et doctorum nescio quomodo fulcimur. Certè, quamvis in plurimis Scripturis N.T. historiam contineri, atque eam rem paulo luculentiorem tractationem desiderare persuasissimus sim, tamen vides, quam sit plenum sollicitudinis, in ea re, quæ propemodum deserta est, vel à quibusdam male feriatis malè tractatur, aliquid tentare, atque ingenium jactare suum videri velle. Tamen, de quibus modestè affirmare possumus, sileri non oportet. Feci hujus periculum in libello meo de Antichristo: quem Hugoni Grotio opposui: Idem fortassis occasionem dabit plura ipsius generis meditandi et proferendi. Est enim à Deo utrumque et veritas juris et commoditas facti. Honoribus tuis gratulor. Quos Ecclesiæ Dei utiles esse Deum rogo. Arbitror pro disputatione tua inaugurali accipies benigna fronte orationem hanc meam, subitò effusam. Vide quo procedam audaciâ, ut tibi, adjunctis exemplaribus mittendis molestiam imponam. Vale, Amice dilectissime, et me amare perge. d. Febr. 1644.